



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Ephr[a]em inter angustias votum edit religionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

aut antè acti, & annales vitæ vestræ recognoscite; fortè iam olim aliquid peccastis, nec dum expiastis. Hic illi facti calumniam sorori factam, & ademptam hæreditatem. Tertius de pontanum illum à se in aquas præcipitarum dixit. Extorta à singulis confessione, aperui, quæ cognoueram de alijs, quæ illi narratione attolenti formidare cœperant vindictam diuinam.

V.

Insequenti die Quæstor omnes ad publicum Tribunal adduci præcipit; vbi, spectante toto populo, rotarum gyris adstricti diuque excarnificati facinora sua omnia ediderunt; cædes, adulteria, calumnias; lataque sententia, me præsentem, in furcam acti animas exhalârunt. Quid mihi tunc animi, quis sensus ac trepidatio fuit? Lictores enim, age puer, inquiunt, non ita quæstonem, vt nuper, euades; quibus ego externatus mortuo propior, quam viuo videbar. Dein prætor, puerum, inquit, veste spoliare, spoliatam loris à manibus pedibusque distendite, neruisque bubulis mactate. Hic ego calum mille votis onerari, Deumque infirmis precibus placare conatus, religionem professurum spondidi, si me præsentem supplicio eximeret, & vinculis expedito salutem expediret. Audire mox Dei elementia visa lacrymabiles gemitus meos. Ex Concilio Iudicem primus monet prætorum; vt, si videretur, in aliud tempus cognitionem reijceret meam causam. Prandij horam esse, reducor ergo oneratus ferro in vincula, aliosque dies quinque supra viginti in custodia solus exigo. Cùm ecce tibi rursus ille iuuenis (haud dubiè tutelaris Genius) mihi iam tertium adstat & compellans: satisne credis iam, inquit, iusto Dei Iudicio mundum administrari? Nec quidquam contra æquitatem ab eo fieri? plus satis, inquam, intellexi *Mirabilia opera Domini, & inuestigabiles vias eius*. Nec enim tantum intellexerat, quam iusto Dei Iudicio in carceris sui socios fuerit animaduersum; sed prima statim vice, quæ Angelus ei apparuit, digitum intendit ad causam tantæ calamitatis, miserum scilicet pecus, quod crebra lapidatione confecerat; quam causam ipse etiam ceteris captiuis ingenuè detexit.

VI.

Nam mense vno antè, quam in carcerè daretur, quid fecerit ipse sic narrat: Cùm puer, inquit, sanè malè moratus, iussu parentum suburbium peterem, reperi tam in salua buculam scetivam
nidam